M. Arnault

1647.



# IN DECRETVM ROMANÆ INQVISITIONIS DE AVTORITATE PRINCIPVM APOSTOLORVM Petri & Pauli NOTATIONES.

I.

IN hoc Decreto illud primum animaduertendum, propositionem libri de Frequenti Cõmunione, *SS. Petrum & Paulum duos esse Ecclesiæ Duces & Principes qui vnicum efficiunt*, Iesuitarum criminationibus tam acerbè atque inuidiosè appetitam, non modo non damnari, sed absolui & probari, cum in solam eius explicationem aliis libris propositam Censores incumbant. Non enim Petrum & Paulum duos Ecclesiæ Principes qui vnicum efficiunt, simpliciter dici, sed *omnimodam* inter eos *æqualitatem* adstrui vetant. Vnde patet atroces illas vociferationes quibus Iesuitæ ore ac scripto, clam & publicè propositionem illam vexarunt, soli quam in hoc omni negotio exhibuerunt cupiditati ac maleuolentiæ ex hoc Decreto adscribendos.

II.

Præterea, si verba ipsa quibus Decretum constat, attentius spectes, ne in libros quidem ad propositionem illam explicandam tuendamque editos valere videtur, cum eam duntaxat explicationem, quâ *omnimoda* inter summos illos Apostolos *æqualitas* inducitur, respuat. A qua explicatione libri illi sic abhorrent, vt contrarium manifestissimè doceant. Petri siquidem supra Paulum in illa à Patribus tradita æqualitate prærogatiuas integris capitibus exponunt, priorem honoris locum Petro addicunt, eique, teste Chrysostomo, vt præcessori, fratrique maiori debitam à Paulo obseruantiam &

A

reuerentiam docent. Quin & disertè aiunt, *Ecclesiam in Petro præcipue fuisse fundatam, ita ut electio Pauli electione Petri niteretur. Itaque quod Iudæis ad Gentiles autore Paulo, hoc idem Petro ad Paulum ipsum gloriari licuisse: Non tu radicem portas, sed radix te.* Denique Pauli potestatem *extraordinariam*, & extraordinario quodam modo constitutam, Petri autem simpliciter & absolutè ordinariam agnoscunt. Ex quibus perspicuum fit, non *omnimodam* inter duos Apostolorum Principes *æqualitatem* ab illis fingi, cum eos tot modis inæquales fateantur.

*De Amplitudine Ecclesiæ Romanæ lib. 4. c. 24. & 25.*



III.

Ipsi Iesuitæ, illorumque asseclæ, explicationem istam à libris quos tot factionibus & fraudibus adorti sunt, alienam probè sentientes, cum nouum Decretum Gazetarij, vt vocant, præconio honoris causâ publicandum censuissent, vocem illam, *omnimodæ æqualitatis*, eradendam viderunt: veriti nimirum, ne apud Gallos, qui melius aliquantò quam Romani gallicè sciant, Inquisitio circumuenta, & ad libros ob ea quæ non docerent circumscribendos damnandosque malignè inducta videretur.

IV.

Facilius multo fuit librorum illorum damnationem ab iis per fucum auferre, à quibus nec lectos constat, nec verò legi potuisse, quippe lingua ipsis ignota conscriptos. Cum enim tota de qua agitur doctrina libro de Romanæ Ecclesiæ amplitudine gallicè scripto contineatur, Epistolâ latinâ ad Pontificem, Patrum testimonia strictim & obiter, atque ita breuius & obscurius, quàm vt eorum vis & sententia plane percipi queat, delibante: constat ex omnibus qui iudicio interfuerunt vnum fuisse qui gallicè sciret, eumque ipsum hac scientia quasdam ob causas non magnopere adiutum. Vt ergo antiquus Ecclesiæ mos à summis potissimum Pontificibus obseruatus retineretur, Libros ante omnia, vt Iudices quid

ageretur, ſcire intelligeréque poſſent, latinè vertendos curari oportuit, quemadmodum in Librorum à Ieſuitis Anglis editorum Cenſura ab illuſtriſſimis Galliæ Antiſtitibus egregiè præſtitum. Hoc vero fundamento prætermiſſo, quam procliue fuerit cenſoribus illudere, & quælibet Ieſuitarum arbitratu obtrudere, nemo non videt.

V.

Quod quidem quo commodius fieret, iidem actores Ieſuitæ atque iidem Iudices fuere. Vt enim taceam Cardinalem Caraffam Ieſuitarum Generalis præpoſiti fratrem, & Cardinalem Lugo Ieſuitam, quem de omnibus grauioribus negotiis ad Generalem ſuum referre obedientiæ votum etiamnum cogit: inter Theologos Cenſuræ concinnatores aderant duo ipſiſſimi Ieſuitæ, iiſque adiuncti quatuor aut quinque alij, qui cum propoſitione quæ ventilabatur ſcripto impugnata accuſatores ſe prodidiſſent, ob idipſum conſeſſu illo digni ſunt viſi, ſummotis aliis eruditione ſpectatis viris, quod ad exploratiſſimam veritatem propenſiores viderentur.

VI.

Cæterum hanc cauſam illud in primis illuſtrat, quod ab hinc duobus circiter annis Cenſuram ſimilem Cardinalis Spadæ, cuius in Inquiſitionis tribunali præcipua potentia auſpiciis confectam, ſic ab omni probabilitatis ſpecie abhorrentem omnes putarunt, vt ſupprimendam atque obruendam cenſuerint, ne Ieſuitis quidem facta eam deſcribendi poteſtate, propterea quod Pontificis grauiores quique ac ſapientiores miniſtri nihil ex eo niſi Apoſtolicæ ſedis labem ſperandum intelligerent. Cum vero poſtea hoc vnum acciderit, vt doctrina de qua agimus antiquæ Traditionis teſtimoniis poſteriori Libro de Eccleſiæ Romanæ amplitudine firmior munitiorque ſit facta, & eruditiſſimorum deinceps tum Pariſiis, tum Romæ virorum aſſenſu, qui etiam nunc manet, probata, hoc plauſu Cardinalis Spadæ ſtimulatus impenſius atque incenſus eſt animus.

Itaque existimationis vindicandæ studio coitione cum Iesuitis facta ad priorem censuram è tenebris iustissimis eruendam atque in integrum restituendam exarsit. Cuius animi æstum tantum fuisse Diana ipse suo in libro est testis, vt Cardinalem Contarenum Collegij Cardinalium splendidum lumen obscurare aggressus sit, egregium Casuistam adducens vt crederet, eruditissimi Cardinalis librum quo summi Pontificis Primatum aduersus Lutheranos propugnauit, à Tridentino Concilio repudiatum: quod perspicuum eius de communi Petri & Pauli primatu testimonium aliter effugere & cauillari non posset.

VII.

Præcipua Cardinalis istius & Iesuitarum ars fuit, summo Pontifici, iisque qui illi adsunt ad insignem Gallici nominis contumeliam persuadere conari, hisce libris schismati viam sterni, & ad alterum Pontificem quem Gallica aula cuperet creandum, aditum parari. Has esse Cardinalis Richelij machinationum reliquias: atque hinc libros exercitu nostro primùm in Italiam irrumpente in lucem emissos, vt ad nouandas perturbandasque Ecclesiæ res animos commouerent: Denique omnino metuendum, ne Galli nunc vbique victores occultam aliquam quæ suo tempore eruptura esset, perniciem molirentur. Ita politicis magis quam Ecclesiasticis ac Theologicis momentis expensa res ac librata. Ac mirandum profecto Iesuitas, dum eos quos horum Librorum autores putant, apud Gallicanæ aulæ proceres omnibus artibus in odium adducere conantur, iisdem apud Romanos inuidiam creare tanquam in Galliæ aula factione valeant, cum eàque conturbandæ Ecclesiæ occulta consilia inierint.

VIII.

Talibus initiis consentaneum fuit, vt auertendæ maioris quam vellent lucis causa Doctores ac Theologos Parisienses Romæ degentes, qui se ad dubitationes

quaſcumque ſoluendas diluendaque obiecta non ſemel obtulerant, ne audiendos quidem cenſuerint, nec vlla eorum quæ gererétur cognitione dignandos, quod ferre id negarent Inquiſitionis leges, quæ inauditis iis quorum res agitur, pronuntiare conſueuerit.

IX.

Quis vero non ſtupeat Ieſuitas Decreti huius autoritatem nobis ſanctam eſſe velle, qui ſimilia Decreta toties ac nuper grauiſſimis in rebus aſpernati ſunt. Sic cenſuram qua Rabardæi liber ſchiſmatis ac hæreſeos nota Inquiſitionis iudicio inuſtus fuit, ita exceperunt, vt ad Academiæ Pariſienſis Apologiam, *ab extranea poteſtate* eam manaſſe reſponderint. Sic Baunij libris ab eadem Inquiſitione proſcriptis Religioſus ille Pater ſcripto typis edito, quod etiamnum extat, exclamare non metuit: *Quid Cenſuræ Romanæ cum Gallica?* Sic vbi Cellotij de Hierarchia volumen, quem Societatis potius quã priuati hominis fœtum eſſe conſtat, Romæ damnatum fuit, non modo Cenſuræ nihil honoris habuerunt, ſed ad illius dedecus nouis Patrem illum honoribus auctum Collegio Flexiano Rectorem continuò præfecerunt. Iampridem enim experientiâ perſpectum eſt, edicta ac decreta, quæ ipſi quantum ad ſe attinet, flocci faciunt & rident, cæca quadam ab aliis obſeruantia ſuſcipi velle, eorum aſpernandorum poteſtate ſibi ſeruata.

X.

Quod ſane majus etiam videbitur, ſi tria hæc expenſa fuerint. 1. Ieſuitarum libros Inquiſitionis Cenſura damnatos dogmatibus adeo fœdis & enormibus ſcatere, vt non ab illa modo perſtricti ſint, ſed & Illuſtriſſimorum Galliæ Epiſcoporum calculo proſcripti, quod *doctrinam nouam, temerariam, falſam, pernicioſam ac ſeditioſam, ad Apoſtolicæ Sedis autoritatem infringendam, ſchiſmataque ac diſſidia in Eccleſia ſerenda ſpectantem continerent*: quodque nominatim Baunij opera *homines ad pro-*

*iectam peccandi licentiam morumque prauitatem ducerent, naturali æquitate ac iure gentiũ calcato.* 2. Iesuitas Romæ factionibus & fallaciis tantum posse (quod nonnulli Pontifices etiam intellexere, dum hanc ob causam Generalem illorum Præpositum aliò amandare cogitarunt) vt siquis eorum liber damnatus illic fuerit, eum insigni quadam prauitate & dogmatibus nullo fuco dissimulandis horrendum esse oporteat. 3. Iis Inquisitionis iudicium qualecumque tandem fuerit recusare integrũ non esse, quod ad vniuersa quæ Româ afferuntur, cœca obedientia amplectenda singulari sese voto obstrinxerint. Quæ omnia secus se habent in hac causa. 1. enim libros de quibus agitur, vt primum editi fuere, eruditorum omnium nulla cupiditate aut præiudicio impeditorum mira suffragatio & gratulatio consecuta est. Quos etiam postquam Decretum istud Lutetiæ sparsum est, in sententia mansisse constat, nec alio dolore cõmotos, nisi quod Apostolicæ Sedis nomine ita quibusdam abuti licitum esset. 2. Horum Librorum autores non solum nihil præsidij Romæ inuenisse, sed per istam Iesuitarum factionem & potentiam tam acerbè habitos, vt eorum patronis omni dicendi potestate erepta, libri etiam ne lecti quidem damnati fuerint, quo vitio nullum in iudicando maius, nullum apertius suscipi potest. 3. Denique autores illos nullis Iesuitarum votis obligatos in communi Galliæ iure consistere: in qua vulgo notum est Inquisitionis edicta non agnosci, neque vllam vim nouorum etiam Theologorum sententiâ habere. Nec tamen in Ecclesia Gallicana tenuius, atque haud scio an amplius & sincerius, quàm vsquam alibi, Apostolicæ Sedis colatur autoritas. Sed cum Inquisitionis Iudices formulis ac regulis admodum extraordinariis & communi Ecclesiæ iuri minus consentaneis vtantur, metuendum non sine causa visum est, ne paulo facilius circumueniantur (quod etiam Summi Pontifices sæpius con-

questi sunt ) neue imbecilliores atque omnis illic opis egeni potentiorum vi aut gratiâ opprimantur.

XI.

Cum ex hoc ipso Decreto pateat, quod supra item diximus, propositionem libri de Frequenti Communione per se atque vt in eo extat, sanam esse, & ab omni censura alienam, ab atrocissimis Iesuitarum, eorumq; assclarũ criminationibus haud dubie vindicari eam oportuit. Quæ disceptatio sola necessitate & aduersariorum importunitate suscepta non aliter ex Catholicorum verorumque Theologorum officio tractari potuit, quam vt summa cum fide, quid in Sanctorum Patrum, Pontificum, & Conciliorum monumentis ea de re inesset, exponeretur. Atque id vnum in iis libris agi plerisque locis significatur, vbi apertè scritum est, nihil aliud spectari, nisi vt *Pontificum ac Patrum testimonia integerrima fide referantur: vt qui grauissimam, sanctissimamque in Ecclesia autoritatem, quæ est summorum Pontificum, Patrum, ac Conciliorum aliquo venerationis sensu prosequuntur, statuant num eorum sententiis plus fidei tribui æquum sit, quam Censorum nostrorum commentis, qui sibi illarum non modo respuendarum, sed damnãdarum etiam & perniciosis erroribus annumerandarum* potestatem arripiunt. Denique passim denuntiatur propositum esse autori solius facti quæstionem explicare, prolatis Sanctorum Patrum sententiis, itaut scriptor Epistolæ ad summum Pontificem Innocentium X. his ipsis verbis Sanctitatem suam compellet: *Si enim Patrum illorum effata minus fideliter à me descripta non criminose iactatum ab aduersariis, sed vere probatum fuerit, quicquid eiusmodi in hoc libro eruditorum & Ecclesiasticæ Traditionis de qua sola hîc agitur, peritissimorum iudicio reperitur, & ipse iam damno, & à S. V. omnibusque Christianis damnari ac repudiari non recuso, sed expeto vltro ac postulo.* Ex quo manifestum est hoc vnum Scriptoribus

*De Amplitudine Ecclesiæ Romanæ. lib. I. c. I.*

*Epist. p.* 77.

illis culpæ aſcribi ac cenſura notari potuiſſe, eos teſtimoniorum ab ipſis illatorum ſenſum aut verba corrupiſſe. Qua de re cum Decretum nihil pronuntiet, ne quidem poſt commemoratam teſtimoniorum ab iis congeſtorum vberrimam copiam, fidei illorum integritatem potius agnitam, quàm dubiam ſuſpectamue fuiſſe ſignificat.

XII.

Hinc liquet hæreſeos notam quam Decretum iſtud irrogat, cum in libros quos nominat cadere non poſſit (quandoquidem in aliorum ſententiis verbiſque referendis falſi crimen ſuſcipi queat, non hæreſeos) in Sanctos ac Patres vniuerſam recidere. Hos enim ſolos doctrina Libris iſtis propoſita ita perſpicuè autores habet, vt iis impoſitum vel affictum quicquam fuiſſe ne Cenſores quidem queri auſi ſint. Quapropter valde metuẽdum, ne Decretum hæreticorum attollat animos, fideliumque conturbet, cum Sanctos Patres vniuerſamque Eccleſiæ Traditionem damnaſſe videri poſſit: quo malo vniuerſa Catholicæ Religionis fundamenta corruerẽt.

XIII.

Quam ſuſpicionem magnopere adiuuant Theologi, qui huic iudicio interfuere, quorumque ex ſcriptis Cẽſuram expreſſam conſtat. Ita enim teſtimoniorum allatorum vim & lucem viderunt, vt eorum nonnullos autores, atque in iis eruditiſſimos ac celeberrimos Cardinales Cuzanum & Contarenum vltro inuadere, ac proinde hæreſeos inſimulare coacti ſint, quippe doctrinæ quam ea nota dignati ſunt aſſertores. Patrum autem ac ſummorum Pontificum clariſſimas voces tam abiectis ac puerilibus & ab omni rationis ac probabilitatis ſpecie alienis effugiis & cauillis eludere ſunt aggreſſi, vt eo ipſo inuictam clarius veritatem quàm vel aperta confeſſione demonſtrauerint.

XIV.

Quod vt paucis exemplis doceatur; Ad Patrum &

ſcriptorum Eccleſiaſticorum autoritates euidentiſſimas quibus traditum eſt ſummos Pontifices nō minus Pauli ſucceſſores eſſe quàm Petri, idque eos ipſos ſummo honori ducere, hanc illico diſtinctionem ex intimo artificio depromunt: *Succeſſione impropria, Concedo: ſucceſſione propria & perfecta, nego.* Cum Petrum & Paulum *in eiuſdem loci primatu* coniunctos audiunt, vt Cardinalis S. Georgij Bonifacij viij. nepos in opere in Italia edito, atque in Patrum Bibliothecam relato loquitur, omnem ſplendidiſſimi teſtimonij lucem hac vna vocula obruiſſe ſibi videntur; *In primatu prædicationis, Concedo: in primatu autoritatis, Nego.* Denique vbi ſummos Pontifices ſibi oppoſitos vident, qui duorum Principum Apoſtolorum ſeſe heredes pariter ac ſine diſcrimine profiteantur, exultant, atque vt eorum lepidiſſimis verbis vtar, *magnum feſtum faciunt* hac diſtinctiuncula: *Sunt heredes S. Pauli in eminentia ſcientiæ, Concedo: in eminentia autoritatis; Nego.* Vnde conſequens erit, vt ſi quem ſummum Pontificem Theologum non maximum eſſe continget, is Petri non Pauli futurus ſit heres: nec ei vtriuſque Apoſtoli autoritatem vſurpare in Bullis liceat, cum alterius illum hereditate ſcriptores iſti deiecerint. Quis ferat ſummorum Pontificum ſplendidiſſima oracula talibus offuciis ac nugis illudi, quibus nihil aliud effici queat, quàm vt ſanctiſſima in terris autoritas hoſtibus Eccleſiæ ſpernenda atque irridenda propinetur?

XV.

Iam vero in hoc Decreto illud omnium peſſimum ineſt, quod vniuerſam ſacræ Antiquitatis doctrinam perturbat & miſcet. Quid enim procliuius, quam vt homines minus periti hæreſin in poſterum putent, ſi quis dicere cœperit cum Irenæo, Epiphanio, totque aliis Patribus ac Pontificibus Apoſtolos Petrum & Paulum ambos *Romanæ Eccleſiæ fundatores, primos Epiſcopos &*

ita vniuersæ Ecclesiæ Principes? Hæreticum fore, qui cum Ambrosio, *Paulum Petro non inferiorem, sed æqualem* affirmet? Hæreticum fore, qui cum Chrysostomo, ac multis aliis, *Paulum Ecclesiæ primatum obtinuisse* asserat? Hæreticum fore, qui cum Ioanne VIII. summo Pontifice non scientiam Pauli solam, ex nouorum Censuræ patronorum fictili glossemate, sed & Pauli *autoritatem* non minus quam Petri *in Apostolica Sede etiamnum viuere* contendat? Hæreticum fore, qui cum Innocentio III. Pontifice, *non in Petri tantum, sed & in Pauli persona Romanam Ecclesiam super vniuersas Ecclesias autoritatem accepisse* pronuntiet? Nonne quisq; facile cogitauerit, si Librorum, qui in his Pontificũ & SS. Patrum propositionibus exponendis toti versantur, doctrina hæresibus accenseatur, propositiones illas continuò eiusdem hæreseos esse damnandas? Quod eò sane verisimilius fiet, quia ipsi illi Theologi qui Censuræ conficiendæ præfuere, sic illam libris editis tuentur, vt in propositiones istas audacissimè impetũ faciant, quasi priuatorũ sint quos refellere conantur, non SS. Patrum, quorum illi sola verba descripserũt. Quænam vero pernicies in Ecclesiam maior inuehi possit, quàm vt dogmatum à Pontificibus & vniuersa Antiquitate constantissimè traditorum friuolis captiunculis, distinctionibusque ludendorum cuiuis licentia pateat, atque ita vniuersa Religio impiorum atque Atheorum contemptui ac ludibrio proiiciatur?

XVI.

Ergo nihil aliud Decreto isto effici potest, quàm vt Apostolicæ Sedis obscuretur gloria, frangatur autoritas, conturbatis fidelium mentibus atque in ancipiti relictis audiendum ne sit potius Romanæ Inquisitionis edictũ, quàm tot Romanorum Pontificum, Patrum & Conciliorum disertissimæ clarissimæq; voces. Ex quo metuendum esset, ne tanta in Apostolicæ Sedis regimen inuidia redũdaret, vt ne infestissimi quidem hostes perniciosius

ei quicquam optare possent. Hinc dictitari jam cœptũ, minus mirũ videri debere, quod Iesuitæ in vulgus spargere audent, librum de Frequenti Communione ab Inquisitione damnatum: propterea quod qui doctrinam Romanæ Sedi honorificentissimam Romanorum Pontificum, Cõciliorum, ac Theologorũ tum veterum tum recentiorum testimoniis munitissimam hæreseos notâ inurere non dubitauerint, nihil iam in Ecclesia tam verum, tam illustre, tam inuiolatũ habituri sint, quod non eadem ratione percellant atq; opprimant: & qui Ecclesiæ lumina atque ornamenta in tanta re pro nihilo duxerint, eorum in alio libro qui eos solos loquentes docentesq; similiter inducit, maiorem rationem habituri non videantur. Nec vero amplissimo tot Episcoporũ ac Facultatis Parisiensis Doctorum choro, qui librum illum Approbationibus laudibusque eximiis cohonestarunt, conquerendi locus foret, plus sibi honoris in hac causa non habitum, quam sanctissimis Ecclesiæ Episcopis ac magistris.

XVII.

Præterea Decretum istud Parisiensi Facultati non leuem maculam aspergit, dum Librorum jampridem ipsa inspectante nec vllo modo reclamãte Parisiis editorum doctrinam hæreseos nota omnium grauissima compungit. Hinc enim colligi facile poterit, aut Facultatem vniuersam in dignoscendis hæresibus minus oculatam esse, quàm Dianam, De Bellis, præclarosq; istos Theologos à quibus compositam Censuræ formulam Decretum testatur (quod ne ipsi quidẽ existimari velint, & qui secus sentiãt, ipsa lucubrationum eorum inanitate ac futilitate facile refellantur:) aut eandem Facultatem hæreses quarum probè conscia sit, turpiter dissimulare ac probare silentio, & eas quidem hæreses quibus Apostolicæ Sedis autoritatem profligari contendũt. Quo crimine grauius etiã dedecoraretur toto orbe celeberrima Facultas, cuius

in primis zelus ac vigor, in erroribus hęresibusq; confodiendis semper enituit.

XVIII.

Atque hoc eò magis animaduertendum, quod cum primum Scriptũ in lucem prodiit, quo doctrina de quâ agimus proposita magis quam explicata & ad omnium intelligentiam enucleata fuerat, Iesuitas cõstat aduersus illam inuidiæ tempestatem concitasse, omnia miscuisse, Ecclesiæ ac Regni proceres cõmouisse, hæreseos certissimæ ream & proximis Facultatis comitiis proscribẽdam vbiq; iactasse. Sed non minus hac in causa quam in plerisque aliis Facultas nobilissima docuit turbis eiusmodi ac tumultibus, quibus cupidi homines vsquequaq; diffusi certissima quæq; dogmata obruere atq; infamare conantur, leuioribus tantum atque imperitioribus animis captandis esse accõmodatas: ingentemq; illam testimoniorum vim ad doctrinę tam iniquis artibus oppugnatę patrociniorum congestorum, priuatis potius docendis necessariam, quàm sibi, quæ ipsam per se veritatẽ in Ecclesiasticæ Traditionis fonte perspexerit. Quod si ad eã cum vulgo minus nota esset, solitisq; aduersariorũ fucis ac fraudibus in omnium odium vocaretur, vel leuissimè violandam nullo pacto adduci potuit, multo etiam longius abfuit ab ea vellicanda, postquam posterioribus Libris tanta vbertate, tanta vi ac robore assertam & vindicatam vidit, vt etiam qui de primo omnium scripto minus commodas cogitationes sibi immitti passi erant, ipsa irruentis in oculos veritatis luce conuicti, tantæ autoritati libentissimis animis paruerint.

XIX.

Itaque Iesuitæ propositionis huius in Parisiensi Facultate infringendæ omni spe abiectâ, quod Lutetiæ nõ potuere, Romæ exequi conati sunt. Atque vt summi Pontificis ministros luderẽt, æquiuocis & captiosis more suo vocibus prædicare cœperunt, Facultatẽ Parisien-

ſem libros de indiuidua autoritate SS. Petri & Pauli nec approbaſſe nec approbādorum poteſtatē dediſſe (quod & nuper in Gazetam totidem verbis transferendum curarunt) vt videlicet Librorum doctrina repudiata, illiuſque approbandæ poteſtas negata à Facultate fuiſſe videretur. Atqui conſtat nec Facultatem Pariſienſem vniuerſam libros approbare conſueuiſſe, nec vllius approbandi licentiam, niſi rogetur, concedere. Eam autem licentiam hîc quidem rogauit nemo, propterea quod autor ob cauſas prudentium omnium iudició æquiſſimas nomen ſuum inſcribendum non duxerit, ſatiſque approbationis habere videbantur aſſenſus & plauſus quibus eruditiſſimus quiſque de Facultate veritatem excepit, maxime poſtremo Libro expoſitam quo nebularum omnes reliquiæ, quæ minus intelligentium oculis officere potuiſſent, ita difflatæ ſunt penitus ac disjectæ, vt aduerſariorum ſelectiſſimi, quorum in nouam inauditamque illam hæreſin acerrimi impetus metuendi videbantur, nihil habuerint quod obtenderent poſt ſeptem vel octo menſium moram præter ſolas nouem aut decem obſeruatiunculas, quas continuò validiſſima confutatio, gratulantibus omnibus, obtriuit.

XX.

Nec vero ſolius Pariſienſis Facultatis honor agitur, ſed multo etiam maior vniuerſi Cleri Gallicani, qui Pariſiis plus anno congregatus dum doctrina, quam hæreticam vocant, in vulgus exiit, ita non reprehendit vel aduerſatus eſt, vt comprobarit potius & ſuffragatus ſit inſignium prudentia & eruditione Præſulum iudiciis & laudibus, qui hanc animi ſui ſententiam, non priuatis duntaxat, ſed primariis Regis miniſtris, atque ipſi illuſtriſſimo ſedis Apoſtolicæ Nuntio profeſſi ſunt. Quod ſi nouo quodam dogmate, nedum hæreſi emergēte, Epiſcopos ſiluiſſe conſenſiſſe eſt, Canonum Sanctorumque Patrum iudicio, quanto fœdius fuerit, encomia inſuper & elogia contuliſſe?

XXI.

Singulari prudentia & eximio erga ſedem Apoſtolicam ſtudio quidam præditi non potuerunt non mirari, minus proſpectum fuiſſe à ſagaciſſimis hominibus quid incommodi ex hoc Inquiſitionis Decreto in poſterum oriri poſſet. Cum enim de B. Pauli ad Pōtificiam dignitatem iure ſententiam ferre non dubitarit, eam ſibi autoritatem ſumere videtur, vt quicquid deinceps controuerſiarum in eo genere extiterit, diiudicet ac definiat. Ita ſi cuius forte Pontificis electio in dubium veniet, vel ſi plures de Pontificatu inter ſe contendent, vt ſæpius accidit, arbitrium iudiciumque legitimum penes Inquiſitionem erit, neque illius ſentētiam Chriſtiano orbi reſpuere integrum erit, quæ pari in cauſa non de vulgarium hominum iure, ſed de ipſorum Eccleſiæ Romanæ Fundatorum dignitate, quos ſummi Pontifices vniuerſi prædeceſſores ac parentes agnoſcunt, pronuntiarit. Quæ res quanti periculi ſit, quantamque perturbationem ac tempeſtatem in Eccleſiam Romanam inuehere poſſit, nemo non videt.

XXII.

Denique vix capere ſe plerique aiunt tantum valere potuiſſe apud cordatos vllos Ieſuitarum artes ac præſtigias, vt obiecta ſibi falſi erga Pōtificem obſequij ſpecie, eam doctrinam illius autoritati contrariam cenſuerint, quæ vna omnium ad illam ſtabiliendam maxime facit. Tam enim luculenter demonſtratum eſt ad tuēdam Eccleſiæ Romanæ amplitudinem prorſus neceſſarium eſſe, quod à perpetua Eccleſiæ Traditione de Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli eodem apice honoriſque ſummi vnitate accepimus inuiolatum ſeruari, vt hoc ſemel poſito omnes eius aduerſariorum conatus concidāt ac præcipua tela quibus Apoſtolicæ ſedis gloriam & maieſtatem attentant, velut à ſole nebulæ diſſipentur. At euulſo hoc fundamento non modo Pauli primatus

corruit, ſed & ſuprema Petri autoritas ita eodem impetu concutitur, vt nemo poſt hac peritus ac prudens eã tuendam ſuſcipere poſſit, ſi aduerſarium nactus erit paulo ſolertiorem qui ad erroris ſui patrocinium ſubminiſtrata ſibi à Ieſuitarum aſſeclis arma tractare norit : quandoquidem luce clarius eſt cauillationes omnes atque effugia, quibus perſpicua, antiquitatis teſtimonia, quæ eadem prorſus Paulo ac Petro honoris inſignia aſcribunt, eluduntur, ad eadem pariter eludenda quæ eoſdem titulos Petro tribuunt, conuerti poſſe : atque ita caſſum & inane effici quicquid fere ex Antiquorum monumentis ad ſanciendam ſedis Apoſtolicæ autoritatem depromi ſolet.

XXIII.

Hiſce Notationibus confectis, Ieſuitas Inquiſitionis Decretum cum Pariſiis ſpargendum curarunt inſigniter adulteraſſe compertum eſt. Cum enim libri de Frequenti Cõmunione propoſitionem quam tam atrocibus atq; horrendis conuitiis pulſarunt, ab eo intactam quod & ſupra annotauimus, adeoque illud nonniſi ad infrænes eorum impetus demonſtrandos accommodatum intelligerent, apertam ei falſitatem mendaci titulo Gallicæ interpretationi præfixo affingere non dubitarunt in hæc verba : *Decret de noſtre tres-ſaint Pere le Pape Innocent X. par lequel cette propoſition: S. Pierre & S. Paul ſont deux Chefs de l'Egliſe qui n'en font qu'vn, eſt declarée heretique, & tous les Liures dans leſquels elle ſe trouue, ſont deffendus.* Hoc eſt : *Decretum S. D. N. Innocentij Papæ X. quo hæc propoſitio :* Petrus *& Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui vnicũ efficiunt, hæretica declaratur, & libri omnes in quibus extat, prohibentur.* Quam audaciſſimam fallaciam in homines qui non omnem prorſus pudorem exuiſſent cadere poſſe vix credẽdum erat. Sola enim Decreti huius lectione meridiana luce clarius patet, propoſitionem illam per ſe & ſimpliciter non dam-

nari, ſed ſolummodo, *ita explicatam, vt ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum:* neque libros in quibus extat hæc propoſitio, damnari (quod indigno comméto vt librum de Frequenti Communione prohibitum vulgo perſuadeant, ſcribere audent) ſed eos ſolum, *in quibus hæc propoſitio vt ſupra explicata & damnata aſſeritur & defenditur.* Hinc collige, quid aduerſus abſentes, tantóque locorum interuallo diſſitos, & in ea quidem vrbe in qua multo magis quam in Gallia opibus & factione valent, moliantur: quibus fraudibus & præſtigiis judicum linguæ quâ libri conſcripti ſunt ignarorum, inſcitiam aucupentur & ludant: cum etiam Pariſiis tam pudendis manifeſtiſque commentis veritatem circumſcribant, cuius apertiores ſe hoſtes profiteri non poſſunt, quam cum eam iſtis tenebrarum ac falſitatis armis adoriuntur.

## XXIV.

Tam inſigni fallaciæ illud etiam plane nouum & inuſitatum acceſſit, qnod Decretum Illuſtriſſimi Apoſtolici Nuntij nomine publicarunt. Apoſtolicos enim Nuntios vllam juriſdictionis partem, aut Decretorum ſuo nomine euulgandorum (quod ad juriſdictionem pertinet, & ſine Ordinariorum juris imminutione fieri nequit) poteſtatem in Galliis obtinere inauditum plane eſt. Quare nouitatem illam Regij Priuilegij autoritate confirmatam incredibile videtur: nam quod huic Decreto præfixum eſt, vt pote mancum atque informe omni fide meritò caret, cum Regij Secretarij ſubſcriptio ex ſolenni more neceſſaria deſideretur.

FINIS.

M. DC. XLVII.